sensum et mentem interius omnino continere, et ideo, si interior cultus Dei est de lege naturæ, consequenter fit, ut sit etiam exterior. Deinde, quia hoc multum juvat, et fere necessarium est ad interiorem cultum; anima enim per actus corporis ad interiores animi motus excitatur. Denique (quod caput est), quia tenetur homo mentem et animum suum erga Deum, non solum Deo, et sibi, sed etiam aliis hominibus significare, propter quod non solum fides, sed etiam confessio fidei, est ad salutem necessaria, ut significavit Paul., ad Rom. 10, et idem proportionaliter est in lege naturæ. Præsertim, quia cum homines in unius reipublicæ seu populi corpus congregantur, naturalis ratio postulat, ut non tantum sigillatim et privatim, sed etiam publice, et communi nomine et auctoritate Deum colant, quod facere non possunt, nisi externo cultu, quia cultum mere internum homines non vident.

8. *Sacrificii oblatio, licet de jure naturæ stricte sumpto non sit, est tamen actio idonea ad præceptum naturale, de cultu externo exhibendo Deo exequendum.* — Dico tertio : quamvis sacrificium visibile satis accommodatum sit ad prædictam obligationem implendam, tamen proprie et in rigore non est ex vi solius legis naturæ præceptum. Prior pars satis nota est ex dictis. Posterior sumitur ex Anacleto Pap., epist. 2, dicente, antiquos Patres spontanea voluntate sacrificium obtulisse; et Clemente, qui loco supra citato dicit, non ex obligatione, sed ex voluntate sacrificasse. Ratio vero est, quia, licet hic modus colendi Deum, sit honestus, et sufficiens ad implendam obligationem colendi Deum, tamen præter hunc modum possunt esse alii, etiam honesti et sufficientes, ut per vocalem orationem et laudem, per genuflexiones vel alias similes actiones; cultus enim Dei externus multiplex est, et nullum est naturale principium, ex quo sufficienter colligi possit, determinationem illius ad talem modum cultus, scilicet, per sacrificium, esse omnino necessariam ad morum honestatem. Quando igitur aliqui Doctores significant, sacrificium esse de lege naturæ, vel loquuntur de sacrificio in communi, prout includit non solum propria, sed etiam metaphorica sacrificia. Vel loquuntur de sacrificio formaliter, ratione cultus latriæ externi, ut sic, non ratione talis determinationis. Vel denique si de hac etiam loquantur, interpretandi sunt, esse de lege naturæ, id est, consentaneum illi, et impletivum legis naturæ, non tamen simpliciter necessarium.

9. *Objectioni respondetur.* — Dices : considerando hoc præceptum eo modo, quo præceptum est, scilicet in ordine ad cultum Dei externum, ut sic, pro quo tempore obligat, stando in sola lege naturæ? Respondetur breviter (quoniam hoc magis spectat ad materiam de religione), hic occurrere generalem difficultatem et communem omnibus præceptis affirmativis, in quibus, si determinatio facta non est per legem positivam, difficile est designare tempus, pro quo determinate obligent. Quocirca, ablata prædicta determinatione legis positivæ, nihil aliud dicere possumus, quam hujusmodi cultum esse ab homine exhibendum Deo, aliquoties in vita, et non esse nimium differendum; nec potest temporis punctus et articulus generaliter definiri, sed prudenti usui et arbitrio id committendum est.

DISPUTATIO LXXIV.

DE MISSA SEU SACRIFICIO LEGIS NOVÆ.

Disp. 2 de sacrificio. — Doctrinæ ordo. — Superius de sacramentis tractantes, prius de sacramentis legis novæ in communi, quam de aliquo in particulari disseruimus, quoniam sacramenta multa sunt et in quibusdam rebus conveniunt, in aliis differunt; in lege autem nova non sunt plura sacrificia, sed unicum tantum, ut postea videbimus, et ideo de hoc singulari sacrificio statim disputationem instituimus. In quo pertractando duas illas partes distinguemus, speculativam scilicet, seu dogmaticam, et moralem, sicut in sacramentis observavimus. Prior autem, quam nunc aggredimur, sex vel septem capita complectetur, scilicet, an sit hoc sacrificium, quid sit, quas causas habeat, et præsertim a quibus offerri possit, et pro quibus, et quam habeat efficaciam seu valorem, ac denique quo ornatu et cæremoniis peragendum sit. In hac ergo disputatione tantum prima quæstio, et consequenter institutio hujus sacramenti declaranda a nobis est.

SECTIO I.

Utrum in lege nova sit aliquod verum ac proprium sacrificium.

1. *Hæreticorum pertinax insania.* — *Fundamentum.* — Una ex præcipuis controversiis cum hæreticis hujus temporis est de hujusmodi sacrificio; illi enim omnino negant, instituisse Christum in nova lege aliquod verum sacrificium, et quamvis potissimum intendant tollere sacrificium propitiatorium, et impetratorium, tamen, ut hoc efficiant, absolute de sacrificio loquuntur, et quicquid vel in Scriptura, vel in sanctis Patribus, de Eucharistiæ sacrificio, vel insinuatum, vel aperte scriptum reperitur, id totum de improprio ac metaphorico sacrificio interpretantur. Fundamentum eorum præcipuum est, quia, vel hoc sacrificium est Ecclesiæ Christi necessarium, vel non; si non, superflue et sine causa id esset institutum; si vero dicitur necessarium, fit injuria sacrificio crucis Christi. Nam sequitur, illud fuisse imperfectum, et insufficiens. Hoc autem fundamentum, quamvis specie videatur infirmum, magnum tamen robur sumit ex ep. Pauli ad Hebr., in qua simili argumento uti videtur Apostolus, ut concludat, vetera sacrificia fuisse infirma, quandoquidem post illa omnia necessarium fuit sacrificium crucis; hæc enim argumentandi ratio, si efficax est, eodem modo concludit de quo[illegible]aque posteriori sacrificio; unde aperte Paulus ex illius sacrificii perfectione concludit, illud unicum ad consummandam nostram salutem sufficisse. Igitur, c. 9, dicit, antiq[illegible]os sacerdotes solitos fuisse frequenter introire in sancta, sacrificiorum officia consummanc[illegible], atque iterantes, eo quod nihil ad perfectionem possent perducere : *Christus autem* (subdit) *introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa;* et infra : *Non enim in manu facta sancta Jesus introivit exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat vultui Dei pro nobis; neque ut sæpius offerat semetipsum quemadmodum Pontifex, quando intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno; alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mundi; nunc autem semel ad destructionem peccati in consummatione sæculi per hostiam suam apparuit.* In cap. autem 10, postquam dixerat, sacrificia vetera repetita sæpius fuisse propter suam imperfectionem, subdit : *Christus autem unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici sub pedibus ejus, una enim oblatione consummavit sanctificatos.* Postmodum vero exponens de tempore legis gratiæ, verba Hier. 33 : *Dabo legem meam in cordibus, et peccatorum eorum non recordabor amplius,* subjungit Paul. : *Ubi horum remissio est, jam non est oblatio pro peccato;* tollit igitur sacrificium propitiatorium, unde et subjungit : *Voluntarie peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.*

2. Secundo argumentari possumus ex Paulo ad Hebræos 5, ubi dicit, neminem posse sibi assumere dignitatem vel honorem Pontificis seu sacerdotis, nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron; sed in lege nova nullus vocatur sacerdos, nisi Christus, quod maxime pertinet ad dignitatem, et ad excellentiam et perfectionem sacerdotii ejus; nam, ut subjungit Apostolus, alii quidem plures facti sunt sacerdotes, eo quod morte prohiberentur permanere; hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Ex quo videtur Paulus tacite concludere, illum esse unicum sacerdotem, post quem nullus alius succedit, quod magis inferius significat, dicens : *Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes, sermo autem jurisjurandi qui post legem est, Filium in æternum perfectum.* Igitur post Christum nullus est proprius institutus sacerdos, sed omnes fideles sunt sacerdotes, ea lata et metaphorica significatione, quæ sacrificio simili modo dicto correspondet, juxta illud : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium;* ablato autem proprio sacerdotio, necesse est, et sacrificium proprium auferre; nam hæc duo inseparabili nexu conjuncta sunt. Dices, ipsum Christum esse perpetuum sacerdotem, qui perpetuo potest sacrificium offerre et iterare. Sed obstat Paul., ad Hebr. 7, dicens, Christum talem esse Pontificem, qui non habet necessitatem quotidie (quemadmodum sacerdotes) prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel, seipsum offerendo; et idem repetit cap. 10, ut supra visum est.

3. Tertium argumentum sumunt hæretici ex Joan. 4, ubi Samaritana Christum interrogavit : *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet;* Christus autem respondit : *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem. Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate;* quo in loco verbum *adorare,* idem significat, quod sacrificium offerre, nam quia (ut supra dicebamus), in oblatione sacrificii supremus cultus externæ latriæ positus est, ideo *sacrificare,* per antonomasiam, *adorare* dici potest. Hunc autem esse sensum constat, quia de hoc

solum erat controversia inter Samaritanos et Judæos; nam hi solum in templo Hierosolymitano dicebant, licere sacrificia offerre; illi vero in monte Garizin, ubi templum ædificaverant, teste Joseph., lib. 11 Antiq., cap. 8, nam de aliis actionibus, quibus coli Deus potest, ut sunt oratio aut similes, non poterat esse dubitatio, quin quovis in loco licite fieri possent. Accedit, non esse novum, sed usitatum in Scriptura, quod verbum *adorandi*, pro verbo *sacrificandi* ponatur. Genes. 22 : *Postquam adoraverimus, revertemur ad vos*, id est, postquam sacrificium obtulerimus; sunt enim illa verba Abrahæ, qui ad filium sacrificandum ibat; et eodem sensu sumi videtur Joan. 12, in illis verbis : *Erant autem quidam Gentiles ex iis, qui ascenderant, ut adorarent in die festo;* et Act. 8 de Eunucho Candacis Reginæ dicitur : *Venerat adorare in Hierusalem*, etc.; eodem ergo modo sumitur in citato loco. Interrogatus ergo Christus de loco, ubi sacrificium esset offerendum, respondere videtur, venisse jam tempus legis gratiæ, ubi nullibi erat Deus sacrificiis honorandus, sed tantum in spiritu et veritate, id est, sacrificio spirituali et invisibili.

4. *Christi Ecclesia propriissimo, externo, visibilique sacrificio gaudet, quo Deum colit.* — Dicendum vero est, esse in Ecclesia Christi aliquod verum, proprium, externum ac visibile sacrificium, quo a Christiano populo colitur Deus. Hæc est catholica veritas, ac de fide certa. Quam ostendo primo ex veteri Testamento, in quo prædictum est, fore in lege gratiæ hujusmodi sacrificium, ut testis est Augustin., lib. 13 de Trinitate, cap. 17, et epist. 49, quæst. 3. De qua re possunt varia testimonia afferri, quale est illud Daniel. 12, ubi de ultima ætate legis gratiæ, quæ erit tempore Antichristi, prædicitur, cessaturum in ea juge sacrificium; supponitur ergo esse duraturum sacrificium aliquod toto illo tempore; nec potest hic locus exponi de sacrificio improprio et invisibili, quia illud non cessabit etiam tempore Antichristi. Aliud testimonium est Isaiæ 19 : *Cognoscent Ægyptii Dominum, et colent eum hostiis.* Quo loco, Ægyptiorum nomine gentes intelliguntur, et eorum vocatio ad fidem Christi, et verus Dei cultus prædicitur, ut Hieronymus ibi exponit, et significat Tertullian., lib. contra Judæos, cap. 5. Sed præcipuum testimonium est illud Malach. 1 : *Ad vos o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, et offertis super altare meum panem pollutum, et cæcum, claudum ac debilem immolatis; non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Quorum verborum planus ac perspicuus sensus est, iis prædicere Deum reprobationem Judæorum, sacrificiorum, ac cæremoniarum legalium cessationem, vocationem gentium, et mundissimam sacrificii oblationem in gentium Ecclesia futuram; quæ tamen tanquam præsens describitur prophetico more, propter certitudinem prophetiæ, et cum legalibus oblationibus comparatur, eisque præfertur. Nam sacrificia Judaica tantum in uno templo offerri poterant, hoc autem offerendum dicitur in omni loco; illa, et carnalia erant, et ab hominibus pollui poterant, hoc autem dicitur sacrificium mundum, quod nulla hominum nequitia contaminari, aut fœdari potest, ut Concil. Trident. dixit, sess. 22, cap. 1.

5. *Hæreticorum refutatur eludendi modus.* — Aiunt vero hæretici, ibi non esse sermonem de proprio sacrificio visibili, sed de improprio et invisibili, aut de metaphorico, quod in oratione, vel aliis bonis operibus consistit. Sed huic evasioni repugnant, primo proprietas verbi *sacrificium*, quod simpliciter dictum et sine ulla limitatione, quæ ex antecedentibus, aut subsequentibus colligi possit, proprie sumendum est, ut ex supra dictis, et ex generali regula interpretandi Scripturam, ostendi potest. Secundo, quia, si antecedentia et subsequentia considerentur, alium sensum commodum non patiuntur; nam ibi comparatur unum sacrificium cum aliis, et hoc approbatur et reprobantur reliqua; ergo necesse est, totum sermonem intelligi de propriis et visibilibus sacrificiis; nam illa sacrificia, quæ reprobantur, propria et visibilia fuerunt, et illud, quod eis præfertur, tantum dicitur esse unicum, quod ab omnibus gentibus offerendum est, cum tamen constet, sacrificia invisibilia esse varia et multiplicia. Accedit, quod illud unicum sacrificium prædicitur tanquam novum et singulare futurum, et aliis veteribus sacrificiis successurum; at vero invisibilia sacrificia non fuerunt de novo introducenda, nec proprie successerunt veteribus sacrificiis, sed simul etiam cum eis fuerunt, imo sunt eis antiquiora, quia semper cum visibilibus sacrificiis debuere invisibilia conjungi, alioqui ficta essent, et impia talia sacrificia. Denique

specialiter ibi prædicitur futuram esse mundam hanc oblationem Ecclesiæ, quod potest duobus modis intelligi : primo ratione ritus externi, quod egregie convenit huic sacrificio novæ legis, præsertim, si cum cruentis sacrificiis veteribus conferatur; nam in solis speciebus panis et vini, facili et purissimo ritu offertur. Vel secundo dici potest munda, propter sanctitatem et puritatem ipsius sacrificii, et hoc etiam optime quadrat in idem sacrificium propter excellentiam rei oblatæ, et sanctitatem primi offerentis, qui est Christus; ratione cujus semper hoc sacrificium mundum est, et infiniti valoris, etiamsi contingat, proximum offerentem iniquum esse, quod non ita erat in veteribus sacrificiis, quæ a solis puris hominibus offerebantur, et ob eorum nequitiam totum valorem suum amittere poterant; invisibili autem sacrificio, cum totum penderet ex justitia et sanctitate offerentis, non potest prædicta differentia satis accommodari; nam et in lege veteri offerebantur munda sacrificia invisibilia a justis hominibus, et in lege nova possunt inquinari, vel potius omnino corrumpi, si absque honestate, vel debitis circumstantiis fiant. Imo hæreticorum judicio omnia opera nostra, quantumvis bona, sunt aliquo modo coinquinata et immunda, quod, licet ita universe dictum verum non sit, sæpe tamen ita accidere non est dubium; non ergo propter nostra opera potest sacrificium legis novæ mundum appellari, sed propter mundissimam oblationem a Christo institutam. Quapropter interpretatio hæc communi etiam omnium Patrum consensu firmata est, ut inter Latinos constat ex Clement. Rom., lib. 7 Constit., cap. 31; et Cyprian., lib. 2 contra Judæos, cap. 16; August., 18 de Civit., cap. 25, et lib. 1 contra Advers. leg. et Proph., cap. 10; et Græcis, Chrysost., Psal. 95, et orat. 2 contra Judæos; Irenæo, lib. 2 contra Hæres., c. 33; Justin., in Dial. cum Tryph.; Damasc., lib. 4 de Fide, c. 14; et ex aliis tam Latinis quam Græcis, qui Prophetam ipsum exponunt; ac denique ex Hebræis Rabbi Samuel eamdem expositionem eleganter persequitur in libello, seu epistola de adventu Messiæ, cap. 21 et sequent.; et ex antiquioribus Hebræis eamdem referunt Burgens., in Scrutinio Scriptur., 2 part., c. 7, et Galat., lib. 10, cap. 4.

6. *Improbatur hujus loci extranea expositio. — Respuitur hæreticorum ficta evasio.* — Quocirca sæpe miratus sum, cur Arias Montanus, vir alioqui eruditus et pius, hunc locum Malachiæ interpretans, ad peregrinum et improbabilem sensum deflexerit, dicens, non esse ibi sermonem de Ecclesia per Christum ex Gentibus congreganda, sed de ipsis gentibus, quæ eo tempore vivebant, et eorum sacrificia et oblationes, quas lege naturali ducti Deo offerebant, dicitque appellari oblationem mundam, oblationibus Judæorum comparatam, ad Judæorum confusionem. Hæc autem interpretatio non solum cum tota antiquitate repugnat, verum etiam cum verbis Prophetæ et cum re ipsa, si per sese spectetur; vix enim tunc erat in Gentibus unus vel alter, qui verum Deum agnosceret, eumque sacrificiis coleret. Quomodo ergo in hoc sensu verum est illud : *A solis ortu usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco offertur mihi sacrificium mundum?* Deinde, quodnam est hoc sacrificium mundum? nam etiamsi admittamus, fuisse tunc in Gentibus usum sacrificandi vero Deo, tamen, imprimis dici non potest, illud sacrificium fuisse unum in Gentibus, sed varia pro hominum arbitrio. Deinde, si illa sacrificia cum sacrificiis Judæorum conferantur, non possunt illis mundiora existimari in ritu sacrificandi, quia etiam erant sacrificia cruenta; neque in re oblata, quia tantum esse poterant ex animalibus, vel ex fructibus terræ; neque in sanctitate offerentium, quia omnes erant puri homines, et si inter Judæos erant aliqui iniqui, multo plures erant in Gentibus; et si inter gentes erant aliqui justi, qui sancte offerebant, multo plures erant eo tempore inter Judæos, quibus expressior Dei fides, et abundantior gratia, regulariter communicabatur. Nullo ergo modo dicta expositio probari potest. Longe vero improbabilior est alia evasio ab hæreticis inventa, nimirum, oblationem mundam, quæ in Ecclesia offerenda dicitur, non esse aliam præter sacrificium crucis, quæ per fidem ac devotionem fidelium Deo semper offertur. Sufficiunt enim quæ dicta sunt, ad hanc expositionem rejiciendam, tum quia hujusmodi oblatio non est proprium sacrificium, quatenus solum per fidem et devotionem fit; tum etiam quia hæc oblatio non est propria Ecclesiæ per Christum congregatæ, nec proprie succedit veteribus sacrificiis, sed cum eis conjuncta fuit; imo ab origine mundi fuit in Ecclesia fidelium; omnes enim fide Christi vivebant, ejusque passionem Deo offerebant; quod autem illi, ut futuram, nos, ut jam factam, offeramus, nihil ad propositum refert, nec in eo loco ulla de hac re

mentio fit. Est ergo hoc testimonium satis efficax ad hanc fidem, et veritatem confirmandam.

7. *Probatur conclusio ex Scriptura legis gratiæ.* — Secundo potest suaderi hæc veritas ex novo Testamento, in quo licet non sint testimonia, quæ per se sumpta convincant, sunt tamen nonnulla, quæ aliis adjuncta plurimum suadent. Unum est illud Act. 13 : *Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit Spiritus Sanctus,* etc., ubi verbum *ministrandi,* pro verbo sacrificandi positum est; verbum enim Græcum λειτουργέω, quod ibi positum est, quamvis etiam ministrare significet, tamen in Scriptura frequenter sumitur pro ministerio sacrificandi, ut ex ad Hebr. 8, 9 et 10, et ex aliis locis colligere licet; et ita vertit Erasmus in citato loco Act.; et hoc maxime declarat illa particula, *Domino;* nullum enim externum ministerium tam proprie Domino exhibetur, sicut sacrificium; sic ergo ex hoc testimonio colligimus, fuisse in primitiva Ecclesia sacrificandi usum. Aliud testimonium sumi solet ex verbis Christi, Matth. 5 : *Si offers munus tuum ad altare,* etc., nam licet illa verba præceptum sacrificandi non contineant, tamen, quia pro tempore legis novæ a Christo ipso dabatur, supponere videtur Christus futuram fuisse in sua Ecclesia oblationem ad altare, seu in altari, quæ sacrificium est, ut ex hoc loco colligunt Irenæ., lib. 4 contra Hæres., c. 34; et Optat. Milevit., lib. 6 contra Parmenian., in princip. Tertio, retorquere possumus argumentum sumptum ex Joan. 4; recte enim probatum credimus, adorationem ibi pro cultu sacrificii sumi, de quo docet quidem eo loco Christus venisse tempus, in quo cultus sacrificandi, neque ad templum Hierosolymitanum, neque ad Garizitanum erat limitandum; non tamen negat Christus Dominus, hoc tempore nullibi esse sacrificandum Deo; imo aperte id affirmare videtur, cum dicit : *In spiritu et veritate adorabitis Patrem.* Namque, ne in usu ejusdem vocis in eodem contextu æquivocationem gratis admittamus, fatendum est, verbum *adorandi,* etiam in his verbis cultum proprii sacrificii significare; est igitur ex testimonio Christi hujusmodi cultus in Ecclesia; et illum merito dicit futurum *in spiritu et veritate,* quibus verbis sapientissime indicat nostrum sacrificium, quod non fit carnali modo (ut sic dicam), seu actione valde materiali, sicut fiebant antiqua sacrificia, sed fit actione quodammodo spirituali; nam, si externum ritum spectemus, fit solo verbo; si vero immutationem, quæ ibi fit, consideremus, divina quadam actione perficitur, et solius Spiritus Sancti virtute fit. Merito igitur hæc oblatio, seu adoratio, dicitur *in spiritu* fieri; *in veritate* autem fit, quia jam non in umbræ figura, sed vere ac realiter caro et sanguinis Christi in illo offertur. Unde cum his verbis recte consonant alia verba, quæ Christus, Joan. 5, idem mysterium promittens, dixit : *Verba, quæ ego loquor vobis, spiritus et vita sunt.* Unde in priori etiam loco, veluti rem novam promittens, dixit : *Venit hora, et nunc,* etc.; non ergo agit de sola adoratione interna et spirituali, quæ antiquissima est, sed de novo adorandi et sacrificandi ritu a se introducendo. Quam expositionem indicavit Martialis, epistola ad Burdegalenses, c. 3; et Euseb., 1 de Demonstrat., c. 6; Theodoret., et Ruper., Malach. 2.

8. *Probatur item conclusio ex requisitis ad sacrificium consummandum, quæ sunt sacerdos. — Altare.* — Tertio probari potest conclusio ex his, quæ cum sacrificio necessario conjuncta sunt, et a quibus ipsum separari non potest, qualia sunt in primis sacerdos; nam, si in lege nova est proprium sacerdotium, necesse est, ut in ea sit proprium sacrificium, ut ex principiis supra positis satis constat. Quod autem in lege nova proprium sacerdotium sit, ut certum sumimus ex materia de Ordine, ubi hoc proprium locum habet, et nonnulla adduximus tractantes de ministro sacramentorum in communi, et de ministro consecrationis, ut per eam perficitur Eucharistia, quatenus sacramentum est; et addemus aliqua inferius agentes de ministro hujus sacrificii. Similiter, ubi est proprium altare, ibi necesse est proprium sacrificium esse, ut ex dictis etiam patet; sed in lege nova est altare, juxta illud Isaiæ 19 : *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti,* per quam metaphorice significatur Ecclesia gentium, ut supra vidimus; et ita citantur verba Christi : *Si offers munus tuum ad altare.* Sic etiam a multis intelligitur illud Pauli ad Hebr. 13 : *Habemus altare, de quo edere non habent facultatem, qui tabernaculo deserviunt;* et illud 1 ad Cor. 10 : *Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum;* mensa enim dæmoniorum erat ara, seu altare, in quo diis immolabant; similiter ergo per mensam Domini intelligit Paulus altare, in quo Ecclesia Christi suum Deo sacrificium offert, et ideo dicit : *Nonne, qui edunt hostias, participes sunt altaris?* quia videlicet edendo significant et confirmant, se consentire sacrificio. Atque hunc fuisse in Ecclesia usum altaris, et mensam Domini, in qua corpus Christi dispensatur, verum altare fuisse semper existimatum, constat ex antiqua traditione, quæ sumitur ex canone 3 et 4 Apostol., ubi et altaris, et sacrificii fit mentio, et in eo servanda dicitur Domini ordinatio. Item ex liturgiis antiquis, præsertim Jacobi, Basilii, et Chrysost.; et ex Dionys., de Eccles. Hierar., cap. 3, ubi et altaris et aræ mentionem facit; et optime Gregor. Nazianz., orat. 2 contra Julian., et oratione funebri de sorore sua Gorgonia.

9. *Idipsum Sanctorum sacris testimoniis roboratur.* — Quarto potest conclusio posita confirmari Sanctorum testimoniis, sed, ut prolixitatem vitemus, ab eorum recitatione abstinebimus, tum quia existimo, sufficere ea, quæ inter exponenda Scripturæ testimonia indicata sunt; tum etiam quia sunt tam multa, tamque communia, ut facillime possint cuicumque occurrere, et necessario erunt in sequentibus quæstionibus attingenda. Denique, quia hæretici non negant Sanctos et antiquissimos Patres frequenter loqui de sacrificio, non tamen de proprio, sed de improprio ac metaphorico, quod quam sit voluntarium, constabit facile ex ipsorum Patrum lectione, et ex modo, quo de hoc sacrificio loquuntur, et illud cum antiquis sacrificiis conferunt, et ex comparatione ejus cum sacrificio crucis, quod fuit propriissimum ac verissimum sacrificium, quæ omnia in sequentibus videbimus.

10. *Rationibus ac conjecturis munitur. — Hæreticorum calumnia rejicitur.* — Ultimo loco adjungere possumus rationes et conjecturas. Et potissima omnium est. Nam nulla ratio patitur, ut Christiana respublica careat sacrificio, quo publico ritu et nomine totius sui populi Deum colat, magis quam Synagoga vel Ecclesia quæ fuit tempore legis naturæ; cur enim Christus Ecclesiam suam in hac parte, quæ præcipua est, et ad Dei cultum maxime spectat, imperfectam ullo modo reliquisset? Fortasse dicent hæretici, statum Ecclesiæ in lege gratiæ esse ita perfectum, ut non indigeat sacrificii usu. Sed hoc falsum est, primo, quia gratia non destruit naturam, sed perficit; usus autem sacrificii, esto, non sit absolute præceptus de lege naturæ, est tamen valde consentaneus illi, et accommodatus homini non videnti clare Deum, viventique in aliorum hominum consortio ac societate, et utenti sensibus et signis sensibilibus ad aliorum sensa participanda, et sua explicanda; Ecclesia autem Christi, quamdiu hic militat, semper est in hoc statu; nondum ergo attigit perfectionem, quæ sacrificii usum excludat. Et ideo Clem. Rom., lib. 6 Const., cap. 23, ad hoc propositum dixit, *Christum legem naturæ non sustulisse, sed confirmasse.* Unde subdit inferius : *Baptismum, sacrificium, sacerdotium, localem adorationem alio modo mutavit;* et infra : *Pro sacrificio cruento rationale et incruentum, ac mysticum sacrificium instituit, quod in mortem Domini per symbola corporis et sanguinis sui celebratur;* et ad eumdem fere modum scribit Iren., lib. 5 cont. Hæres., cap. 34 : *Non genus oblationum reprobatum est; oblationes enim et illic, oblationes autem et hic; sacrificia in populo, sacrificia et in Ecclesia; sed species immutata est tantum, quippe cum jam non a servis, sed a liberis offeratur;* et Petrus Clunaic., epistola contra Petrobrus., in eamdem sententiam scripsit : *Qui ab Ecclesia sacrificium tollunt, hoc tentant, dæmone suggerente, ut gens illa, quæ pluribus est a Deo cumulata beneficiis, minus grata illi sit, minoremque cultum et honorem illi exhibeat.*

11. *In unoquoque sacrificio tria consideranda sunt, cultus Dei externus. — Significatio mystica, vel moralis.* — Secundo, quia in sacrificio visibili nihil designari potest, quod, vel cum perfectione legis gratiæ, vel cum perfecta Christi redemptione pugnet. Tria enim sunt, quæ maxime possunt in sacrificio considerari. Primum est, cultus Dei externus. Secundum, significatio moralis vel mystica. Tertium est, effectus satisfactionis pro peccato. Primum horum, non solum non repugnat perfectioni legis gratiæ, verum potius est ad illam necessarium, ut a fortiori patet ex dictis, quia cultus Dei externus cadit sub naturale præceptum; lex autem naturalis etiam obligat in lege gratiæ; imo majori obligatione debemus Deo tam externum, quam internum cultum, qui in hac lege vivimus, qu a majora beneficia interna et externa ab illo accipimus. Item, quia nunc maxime congregatur tota Ecclesia in unum visibile corpus, quod signis visibilibus indiget ad colendum Deum, ut in unum corpus religionis conveniant, sicut Augustinus contra Faustum scripsit; igitur, neque cultus externus ut sic, neque ut talis, scilicet per sacrificium, alienus est ab statu Ecclesiæ in lege gratiæ. Ne-

que alicujus momenti est, quod respondent hæretici, satis nunc esse sacrificium crucis. Quia, licet illud fuerit satis ad redemptionem nostram, non tamen ad cultum nostrum (ut sic dicam), seu ut nos exhibeamus cultum Deo, quia nos neque obtulimus, neque offerimus sensibiliter illud sacrificium, ut in cruce oblatum est. Et quamvis in ratione rei oblatæ illud sacrificium nobis sufficiat, quatenus idem Christus, qui tunc est oblatus, a nobis nunc offertur sub visibilibus signis, tamen in ratione oblationis non potest sufficere, quia oblatio illa cruenta semel tantum facta est, et iterari non potest; unde nec proprie pertinet ad legem novam, quia sub eam non cadit, nec cum illa durat, sed ipsam antecessit. Oblatio etiam privata, quæ per internam fidem et devotionem ab unoquoque fieri potest, ut supra dicebam, neque est propria legis novæ, nec sacrificium visibile; est ergo aliud genus sensibilis oblationis in hac lege necessarium. In qua secundum considerandum erat significatio, de qua etiam facile ostendi potest, non esse repugnantem legi gratiæ; aut enim est significatio moralis, aut mystica; utraque autem et verissima est, et decentissima. De priori constat, quia indicat cultum interiorem, quem et habere, et ostendere debent, qui cultum exteriorem exhibent. De posteriori probatur, quia potest hoc sacrificium non significare passionem Christi futuram, sed jam exhibitam, ut revera est; potest etiam indicare corpus et sanguinem Christi, non tantum ut absentia, sed etiam ut in ipso mysterio vere et realiter præsentia, et Deo oblata; tota autem hæc significatio, et vera est, et nobis maxime utilis, tum ad renovandam passionis Christi memoriam, ejusque beneficia recolenda; tum etiam ad fruendum ipsa Christi præsentia. Nec vero usus hujusmodi signorum visibilium indecens existimari potest mortalibus hominibus, ut supra de sacramentis in genere tractantes latius vidimus.

12. *Effectus satisfactionis pro peccato.* — Quod vero ad tertium caput de effectu satisfactionis pro peccato spectat, imprimis id non habet locum in sacrificio in communi, sed tantum in propitiatorio. Deinde, quamvis de illo in specie loquamur, nihil derogat sacrificio crucis: primo, quia Christus in cruce, non solum sufficienter et copiose satisfecit pro peccatis hominum in lege gratiæ viventium, sed etiam eorum, qui in lege veteri, et naturali fuerunt; sed illi sine injuria, imo cum mera fide crucis Christi obtulerunt sacrificia propitiatoria; ergo idem possumus nos facere in lege gratiæ. Secundo sumitur argumentum simile ex institutione sacramentorum, quæ in lege etiam gratiæ ad remissionem peccatorum data sunt, et ad gratiam conferendam, quamvis Christus in cruce sufficienter fuerit nostram salutem operatus, et remissionem omnium peccatorum copiosissime nobis meruerit. Tertio, ratio omnium est, quia Christus in cruce meruit et satisfecit infinite quoad sufficientiam, non tamen quoad efficaciam, quia illud meritum et satisfactio non applicantur nobis per solam crucem; et ideo necessaria sunt alia media; et hæc sunt, ex parte nostra, dispositiones et opera cum auxilio gratiæ facta; ex parte autem Christi, sacramenta, et sacrificium etiam propitiatorium, per quod fructus passionis ejus nobis applicatur; nulla ergo fit injuria illi passioni; nam quod hæc applicatio necessaria sit, non est ex defectu, sed potius ex virtute passionis Christi, quia non solum per se operari potuit, sed etiam aliis dare virtutem ad operandum; fuitque hujusmodi providentiæ modus ad convenientem hominum gubernationem maxime conveniens.

13. *Hæreticorum destruitur fundamentum. Sacrificium propitiatorium triplex. — Imperfectum. — Perfectissimum. — Perfectum.* — Superest, respondeamus ad præcipuum fundamentum contrarii erroris, quod directe procedebat contra id, quod nuper diximus de sacrificio propitiatorio. Et ideo, ut clarius respondeamus, et Apostoli mentem exponamus, distinguere possumus triplex sacrificium propitiatorium. Primum est ita imperfectum, ut ex se, nec virtutem habeat ad remittenda peccata, neque ad applicandam virtutem, vel satisfactionem jam exhibitam per aliud sacrificium, sed solum sit umbra et figura alicujus rei futuræ, et ad summum, quatenus est quoddam virtutis opus, valeat, vel ad impetrandam remissionem culpæ, vel ad aliquam satisfactionem pro pœna, si alia necessaria concurrant ex parte hominis operantis. Secundum sacrificium est adeo perfectum, ut de se habeat valorem et sufficientiam ad tollenda peccata, ita ut propter hoc etiam offeratur, scilicet, ad satisfaciendum Deo sufficienter pro peccatis, et (ut ita dicam) ad exhibendum pretium ad eorum remissionem sufficiens. Tertium sacrificium est veluti medium, scilicet quod non offertur propter acquirendum pretium, sed ad applicandum jam

acquisitum. Primum sacrificiorum genus inventum est in lege veteri; repugnat autem perfectioni legis novæ, quia non expectamus redemptorem, qui pro nobis patiatur, sed credimus redemptionem jam factam. In secundo ordine fuit solum sacrificium crucis Christi, ultra quod non est aliud simile necessarium; illud enim fuit tam dives ad pretium, ut post illud nullum aliud requiri possit ad pretium redemptionis nostræ acquirendum, vel augendum; et petere tale sacrificium in lege gratiæ, esset magnam injuriam Christi cruci irrogare. Tertium sacrificium habemus in lege nova, quod non solum non derogat abundanti redemptioni Christi, verum potius eam in nobis perficit, et applicat. Et ita satis est hæreticis responsum.

14. *D. Pauli testimonium dilucide exponitur.* — Atque ex eadem distinctione facilis est Pauli intelligentia; loquitur enim in illis locis de sacrificio cruento mortis Christi, per quod sufficiens pretium nostrorum peccatorum solutum est, et de hoc affirmat, esse unicum tantum, neque posse iterari, sicut vetera sacrificia. Hanc vero esse mentem Pauli constat ex fine et intentione epistolæ, quam ad Hebr. scribit; qui suis sacrificii legalibus nimium adhærebant, et ideo in hoc potissimum incumbit, ut illorum sacrificiorum imperfectionem ostendat, et necessitatem alterius sacrificii, et sacerdotii perfectioris, quale fuit sacrificium crucis Christi. Secundo idem ostenditur ex verbis Pauli, dicentis : *Introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Redemptio enim inventa seu peracta est quoad sufficientiam per sacrificium crucis, de quo etiam dicit : *Una oblatione consummavit sanctificatos*, nimirum, quoad sufficientiam; nam, quoad efficaciam neque ipsi hæretici dicunt, una illa crucis oblatione consummatos esse omnes sanctificatos, quandoquidem etiam illi aliquid aliud requirunt, ut illa sanctificatio nobis applicetur, scilicet, vel baptismum, vel fidem, vel aliquid hujusmodi. Rursus, cum dixisset Paulus, Christum ingressum esse in cœlum, non ut quotidie offerat semetipsum, subdit : *Alioqui oporteret ipsum pati ab origine mundi;* loquitur ergo de oblatione per passionem. Sicut autem non excludit spiritualem oblationem, qua Christus in cœlo se pro nobis offert, passionem suam Patri repræsentando, quam idem Apostolus alibi significat, dicens, ascendisse Christum, ut appareat vultui Dei pro nobis, et ut pro nobis interpellet, ita etiam non excludit quotidianam oblationem incruentam, qua per ministros suos in Eucharistia seipsum offert; non enim magis una oblatio, quam alia, derogat sacrificio crucis Christi; utraque enim ordinatur, ut fructus sacrificii crucis nobis applicetur, non ut denuo comparetur. Verum est, Paulum eo loco nullam mentionem fecisse hujus oblationis incruentæ, quæ per ministros Christi fit; vel quia proposito, et intentioni suæ non erat tunc necessarium; vel quia illi, ad quos scribebat, tunc non erant dispositi, et capaces, et non oportebat eos mysteriorum magnitudine obruere, ut latius in 1 tom., circ. quæst. 21, dixi.

15. *Pauli testimonium ad Hebr.* 10 *dilucidatur.* — Ex his ergo omnia fere verba Pauli in argumento adducta exposita manent; illa vero ex cap. 10, speciali annotatione indigent : *Ubi horum remissio est, jam non est oblatio pro peccato;* duplicem enim sensum habere possunt. Primus est, ut intelligantur de oblatione legali, quæ in lege veteri pro peccato fiebat, quamque Judæi magni faciebant; quibus Paulus respondet illam potuisse quidem durare, et alicujus esse utilitatis, quamdiu oblatio in cruce facta non est, quæ et veram confert remissionem peccatorum, et in alia legali oblatione figurabatur. Illa vero jam completa, et remissione peccatorum per Christum facta, consequens est, ut illa prior umbra transierit, et talis oblatio pro peccato cessaverit, et jam non sit. Secundus sensus est, ut intelligantur illa verba de oblatione pro peccato, quæ sit ejusdem rationis cum illa, per quam facta est remissio peccatorum, id est, acquisitiva pretii ad redemptionem sufficientis; talis enim oblatio pro peccato requiri non potest, ubi prior redemptio sufficiens et copiosa fuit. Atque ad eumdem modum interpretari possumus alia verba ejusdem capitis : *Voluntarie enim peccantibus nobis, jam non relinquitur hostia pro peccato;* nam, licet hic locus varias habeat expositiones, ut supra in materia de baptismo insinuatum est, et in materia de pœnitentia fusius fortasse dicetur, hæc tamen non videtur contemnenda; scribit enim Paulus ad Hebræos, qui vel fidem Christi non admittunt, vel cum illa conjungere volunt legales cæremonias; quibus dicitur, non relinqui hostiam pro peccato, quia nec vera hostia a Christo in cruce oblata frui volunt, cum ab ejus fide ita voluntarie deficiant; nec legalis hostia pro peccato illis prodesse potest; neque etiam est, quod no-